Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

# Drei Kolleghefte - Cod. Ettenheim-Münster 162

Anreiter, Thomas

[S.l.], 1622-1623

Proemium

urn:nbn:de:bsz:31-114244

Visual Library

Prooemium

# IN METEΟΡΟΛΟ ΓΙΑΝ.

## Prooemium.

Quo ordine tradendæ sint nat[ur]alis scientiæ partes
clarè admodum docet Ar[istote]les ad initium librorum
μετεωρολογικῶν dum sigillatim enumerat omnia
quæ de rebus naturalibus tradi possunt et primo
quidem loco constituit principia, causasq[ue], et propri
etates co[mmun]es corporum nat[ur]alium, de quibus ipse octo libris
de physicâ auscultatione tractat. 2º ponit corpora
simplicia, cœlum scil[icet], astra, et elementa, de quibus
ipse tum libris de cœlo et mundo, tum libris de genera
tione et corruptione agit. 3º corpora mixta inani
mata recenset tum imperfecta, de quibus disputat tribus
prioribus libris μετεωρολογικοῖς tum quæ magis ad
perfectionem accedant, quorum considerationi destinavit
quartum μετεωρολογικὸν. 4º loco enumerat corpora
animata, de quibus generatim quidem disserit
libris de anima, speciatim vero tum libris q[ui] par
vorum nat[ur]alium no[m]i[n]e inscribuntur, tum aliis q[ui] de plan
tis, animalibus[que] inscribuntur, unde

Collige, 1º μετεωρολογίαν esse partem φυσιολογίας et quidem non exiguam, prius patet, — *Meteora sunt pars physicæ.*
quia corpus mixtum inanimatum, de quo tractat
μετεωρολογία ut infra demonstrabitur est pars
sive species corporis nat[ur]alis in genere, quod est obiectum
ipsius physicæ proinde non recte illa huic subalter
nari d[icitu]r, ut pote cuius obiectum non contrahatur per
differentiam aliquam accidentalem, quod tamen ad subal
ternationem requiritur, co[mmun]iter docente Philosophi, sed

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
gefördert durch Baden-Württemberg
MINISTERIUM FÜR WISSENSCHAFT, FORSCHUNG UND KUNST

contrahatur potius quam diffundi essem, posterius et patet, quia cum aliqua reperire sit elementa pura ac præter corpora animata alia nihilominus inveniantur quamplurima necesse est hanc partem Physicæ, quæ agit de mixto inanimato maxime se se extendere.

Quando addiscenda sint meteora.

Collige 2.o tractatum de meteoris esse addiscendum post libros auscultatorios, itemque post libros de cælo et generatione ante libros de anima reliquosque ad Physicam pertinentes. Probatur quia ordo doctrinæ postulat ut prius communia quam particularia intelligantur, quod tradit Aristoteles 1.o Phys. t. 4. ex particularibus autem prius simplicia, quam mixta, ex mixtis porrò prius minus perfecta, quam perfectiora, aut absolute perfecta enucleanda sunt, his tamen non obstantibus quia res ita postulat non habitâ huius ordinis ratione per hasce canniculares ferias μετεωρολογίαν tradere Deo bene favente aggredimur, memores ut si quid dificultatis obscuritatisque ea de causa oriri possit id doctrina uberiori ac planiori explicatione tollatur, agemusque a. 1.o de meteoris in genere tum de iisdem in specie, de igneis scilicet, aqueis, aereis, ac denique terreis

# QVÆSTIO I.a

## De meteoris in genere.

# DVBITATIO I.a

## Quid nominis quodque subiectum sit.